JO. SCHILTERI
DE
S. R. G. IMPERII
COMITUM
Prærogativa ac Jure inter ipſos & Ordinem Equeſtrem Imperii immediatum ſecundum quosdam controverſo.

DIATRIBE.



XVIII
D
37

ARGENTORATI,

Sumptibus JO. REINHOLDI DULSSECKERI.

ANNO MDCCII.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS

S. ROM. GERMANICI

IMPERII

COMITIBVS

SACRVM.

Digitized by Google

§. I.

QUantumvis multi multa tum de Comitibus generatim, tum de Comitibus Imperii Romano Germanici ſcripſerint, quos exſcribendi prurigo nulla unquam me vexavit; ſuboriuntur tamen in pertractatiſſimis etiam rerum argumentis ſubinde novæ controverſiæ novæque ſpecies, vel ex perperam Veterum doctrina intellecta, vel ex πλεονεξία litigantium: Quod ad præſens attinet, de duobus occupabimur, prius afficit Statum atque Ordinem S. Imperii Comitum, poſterius res ipſorum atque territoria. Verſatur vero cauſa inter ipſos atque Nobilitatem Imperii immediatam, vel ut mollius æquiusve dicam, inter quoſdam ex eadem à Scriptoribus quibuſdam ad id ſeductos, qui tum paritatem aliquam Ordinis intendere videntur, tum territorii ſui extenſionem in aliena. *Propoſitio argumenti tractandi.*

§. II.

De veteri & ſatis agitatâ quæſtione, de jure ſuffragii in Comitiis, quod Nobilitas immediata prætendit, hic non agimus: ex ea tamen nobis propoſitæ ortum duxerunt. Inter eos qui hæc talia jura *de Statu N. I.*

 Nobi-

Nobilitatis defenderunt, primum exiſtimo ex illuſtri familia de Gemmingen, quem *Knipſchildius de Nobilit.* 1. 3. 73. Reinhardum de Gemmingen auguratur, quemque nobiliſſimum in omni eruditionis genere verſatiſſimum laudat Beſoldus *Theſ. Pract. v. Reichs-Stand.* ejuſque ea de re ſententiam pluribus exhibet. Is inter alia ita fatur: *Wer will aber glauben, uti tunc fuerunt tempora, daſs freye Francken, de quibus proverbium natum, und ſonderlich die vornehmſten Heupter ſich werden einem Comiti alicujus pagi, welcher ihres gleichen, und mehr nicht als auch ein Edelmann geweſen wie ſie, umb eines, zweyer oder dreyer ſchlechter Dœrffer willen unter die Füſs legen und zu Sclaven haben machen laſſen.* Et poſtea: *demnach der Adel damal der einige Stand im Reich geweſen, ſonſten keiner mehr, auch noch heutiges tages und noch vorhin allzeit in regno Francorum domanium Regis inalienabile geweſen &c.* Ex his duæ potiſſimum aſſertiones obſervandæ, de quarum veritate erit diſquirendum. Prior eſt, *Nobiles Franconicos & Comites Pagorum fuiſſe paris conditionis & hos nihil amplius quam Nobiles: Comites porrò ſubjectos ſibi habuiſſe in ſervitute ſive Sclavaria*, de facto, an de jure? Poſterior; *Nobilitatem tum temporis fuiſſe unicum Statum Imperii, & nullum ulterius: fuiſſeque domanium Regis inalienabile.* Sed antequam de his diſquiramus, etiam alios ſuccenturiatos audiamus.

§. III.

Edidit anno ſuperioris ſeculi XXV. Caſpar Lerch de & in Dürmſtein, Senior, Capitaneus Nobilitatis Imperii immediatæ orts Gaues & Wasgaues, Librum in vernacula, cujus titulus: *S. R. I. Nobilitatis*

Gemming.

C. Lerch.

Digitized by Google

tis Cæſareæ immediatæ Antiquitas, dignitas, Libertas & Jura. ubi *P.* 1. *Num.* 7. *§.* 7. immedietas Nobilitatis Imperii præſupponitur, atque per totum defenditur, quæ neque in controverſiam venit. Iſtud autem dubii remanet, quo tempore Immedietas cœperit, utrum à primordiis Regni Germanici, an poſtea, & imprimis tempore Interregni? Prius aſſerit contra Beſoldum & Noldenium, aſſerentes demum ſeculo XIII. tempore Conradini, Ducis Sueviæ, immedietatem illam cœpiſſe. *Num. XI. P.* 1. Ipſe allegat Decretum & privilegium Caroli M. in Comitiis Paderbornenſibus an. 777. dimittentis exercitum, ex Phil. Camerarii Hor. Subciſiv. c. 1. c. 79. *Heroum* titulum Nobilitati ſingulariter vindicans. Et mox ait: *Und iſt ein ganz neuerlicher bey etlichen eingeſaſter und ohngerechter, falſcher wohn: Ob were der Reichs alte freye Teutſche Adel erſt durch die privilegia Cæſarea befreyet, & ex hoc alioque actu ſimili, befreyte Reichs Ritterſchafft ernennet worden: ſondern es iſt offtbeſagter Equeſtris Ordo und die darunter begriffene Reichs Kriegiſche Commilitones und læbliche Ritterſchafft ex conjunctione corporis Imperialis, ipſo fidelitatis merito, erga Reges Populumque Germanæ Gentis & Cæſares, mit der naturlichen Freyheit ſelbſt, Frey blieben, und was Statui Equeſtri ſolche merita & gentium libertates mitbracht haben, ihme angeerbet, und vor freye Reichs-Ritterſchafft erkennt und benandt worden.*

Hinc quæſtio orta jam: An jura Nobilitatis immediatæ Imperii ſint libertatis naturalis atque juris Gentium, & ordo Equeſtris unum corpus Imperiale cum Comitibus conſtituat?

 §. IV.

§. IV.

Idem Autor in Parte II. n. 46. pag. 126. LL. non diffitetur, in diviſione regnorum & territoriorum, etiam Nobiles in certis territoriis, Weſtphalicis ſpeciatim ab immedietate ſeparatos fuiſſe & ad Dominos territoriales tranſiiſſe: At reſervatum vult Imperatori in caſibus certis jus revocandi: *Dabey aber diß zu errinnern hie iſt, bey gewiſſen zutragenden Achts oder andern Fallen, die Rœm. Keyſer gedachten ihren in etlichen Provinciis gehærter maſſen, abgangenen oder hingegebenen Reichs Adel, wieder an ſich und das H. Reich zu nehmen, ſelbſt genieſſen und à juramentis ſeu pactatis zu abſolviren befugt ſeyn kœnnen, wie in devicta jam inferiori Saxonia leicht geſchehen, und dieſes ein exemplum auch gedachtnis plenipotentiæ Cæſareæ ſeyn kœnte.* Et mox: *Und ſcheinet abentheurlich zu hœren, quos Principes habuerunt ſocios in bellis Nobiles: nunc ſubditos efflagitare pace.* pag. 137. yy. *Beyde theil Elſaſſiſcher Graffen, Herrn, und Edlen, unter der Freyen Reichs gemeinen Ritterſchafft zugleich ſuo modo verdient und verſtanden werden kœnnen und ſollen.* Item pag. 138. ZZ. *Sonſten haben ſich Elſaſſiſche Graven und Herrn, gleichſam auch von demſelben Lands Freyen Adel etwas bey Friedenszeiten erhaben, da doch in Krieg, Vehden, Bundniſſen, und Conſiliis vors Vatterland, ein Corpus geweſen iſt &c.* Item ex Hieronymi Rodlers Turnier-Buch allegat pactum Heilbronnenſe de an. 1484. inde obſervationem ducit: quod Comites Sueviæ ſub nomine *der Reichs Ritterſchafft* comprehenſi & vice verſâ: quodque *Maag von Hohen Riechen* fuerit Capitaneus fœderis & unionis Clypei S. Georgii in

An. 1625.

in Suevia inferiori. Item: *Alle Kriegs-Concurrenz hat Adel mit Fürſten und Graven.*

§. V.

Hos auctores ſecutus eſt Philipp. Knipſchilt, Ordinis Equeſtris Suevici Syndicus *Lib.* 1. *de Nobilitate cap.* 3. 73. *ſqq.* pluribus aſſerens: *Nobiles immediatos Imperii ſemper & ſtatim translato ad Germanos Imperio, nullis Ducibus aut Comitibus fuiſſe ſubjectos, ſed ſoli Imperatori.* Verum quum hæc quæſtio ſit magis hiſtorica, præjudicialis tamen, itaque pergit ad alias juris quæſtiones: *An Nobilis immediatus Imperii poſſidens bona ſive feudalia ſive allodialia in alieno territorio, in iisque habitans, eo ipſo ſit Landſaſſius?* Negat *Lib.* 1. *cap. XI.* 153. *ſqq.* 180. *ſqq.* & alias ſimiles movet quæſtiones, ex quarum decidendi rationibus ea, quæ hodie agitatur controverſia de bonis & rebus Nobilium Immed. Imperii in Comitum v. g. ut alieno territorio ſitis an ſint tantum in territorio, non de territorio, ſed exemta & quaſi ſeparata territoriola? ad quam decidendam, arceſſunt quæſtionem præjudicialem circa jus perſonarum & ſtatum Nobilitatis Immed. Imperialis, & ex hujus aſſertione deducere conantur jura etiam circa res. *Ph. Knipſchilt.*

§. VI.

Conſiderandæ igitur ſunt laudatorum Auctorum hypotheſes, an & quatenus ſint conceſſæ? Quod igitur ſuprà §. II. ſuppoſitum cernebatur: *Nobilitatem immediatam unicum Imperii ſtatum ab initio fuiſſe:* Primo ambiguitas vocabuli evolvenda, deinde veritas eruenda.

Nobilitatis nomen hic ſane, ubi de Immediata Im- *Nobilitas ſuperior.*

Imperii ſermo eſt, non accipi in latiſſima ſua ſignificatione, qua etiam Imperatoris, Regis, Electorum, Principum, Comitum & Baronum Dominorumve territorialium, civilis præeminentia continetur, & Nobilitas *ſuperior* appellatur, *der Hohe Adel: Herren Stands-Perſonen, Nobiles ſummæ ſortis,* in Gravam. Cent. Nationis Germ. §. XXV. in Comitiis Noricis exhibitis an. 1522. Et qui continentur quinque prioribus Clypeis militaribus Juris Germanici, de quibus alibi fuſius: Sed in ea notione, qua venit Nobilitas *inferior*, *der Nieder Adel,* Nobiles mediæ ſortis, in dictis Gravaminibus, *Dienſtmanne, Miniſteriales*, in Clypeo ſexto veniunt. In Aureæ Bullæ præf. Caroli IV. Imp. *Proceres, Nobiles*, cap. 1. §. 2. milites, Clientes. Nobiles milites & clientes: *Ritter-Knechte,* de qua re plura ad cap. 1. J. Feud. Alem.

Inferior.

§. VII.

Quibus addo, vocabulum *Ritter, Eques,* duplicem admiſiſſe uſurpationem, unam communem & ex nativitate, ut qui nobilis natus eſt, dicatur eques & ordinis equeſtris, *von der Ritterſchafft:* alteram ſpecialem atque ex creatione Imperatoris. De Equitum creatione Cortuſius *de Novitatib.* Paduæ & Lombardæ lib. XI. c. 2. *Carolus IV. Imp. probum virum & nobilem Dom. Franciſcum de Garravia, ſedens in equo fecit militem, & cum palma eum percutiens ſuper collum, ait: Eſto bonus miles & fidelis Imperii. Statim Nobiles Comites Theutonici deſcenderunt de equis, & eidem ſtatim Equitis impoſuerunt calcaria. His dominus Franciſcus donavit dexterios, & equos alios de pulchrio-*

ebrioribus , quos habebat. Nos de priori notatione hic agimus. Atque imprimis obſervandum , quod ſicut apud Romanos tres quidem ordines Quiritum erant, Senatorius, gentium Patriciarum, Equeſtris & Plebejus, ſæpe tamen intermedius ad ultimum fuit numeratus. Sic Virgilius *l. 2. Georg.* duos tantum ordines refert *Plebiſque Patrumque* ita & Gajus JC. *l. plebs.* 231. *de V. S.* Attejus Capito *apud Gellium L x. c. xx.* Juſtinianus §. 4. *J. de I. N. G & C.* Aſcanius Pædianus: *ſex competitores Cicero habuit: duos Patricios, quatuor plebejos , ex quibus duo Nobiles.* Pollet *Hiſt. For. Rom.* 3. 9. Ita etiam C. Tacitus Nobilitatem Germanorum Plebis vocabulo inſignivit , quando ore Romano *de M. G. c. XII.* ait : *Eliguntur in iiſdem conciliis & Principes , qui jura per pagos vicoſque reddunt : centeni ſingulis ex plebe comites.* Principes vocat quos Germani *Graven* dixere : Comites horum aſſeſſores Rachinburgos utroſque de nobilitate , ſed priores de ſuperiori, poſteriores de inferiori : illos *Nobiles*, hos *Ingenuos* vocat *cap. XXV. fi.* ſicut & Nithardus *L. IV. hiſtoriæ Francorum*, de Saxonibus : Eddelingis, Nobilibus, *Ingenuos Frilinge* opponit: Adamus Bremenſis Nobilibus *liberos.* Cranzius *Miniſteriales*, vid. inf. §. XII.

§. VIII.

Quod enim ad rem ipſam attinet , non de omni Nobilitate, ne quidem de inferiori, nec enim de mediata & Landſaſſica, ſed de Immediata ſola hic tractatio eſt : etſi utraque ſub uno eodemque clypeo militari contineatur. Certè ab initio omnes Nobiles ſexti clypei videntur fuiſſe immediati , quum *Concluſio.*

B ſub-

Digitized by Google

ſubordinatio Clypeorum ſive ordinum nullam inter ipſos *poteſtatem* ſubordinatam importet, ſed dignitatis gradus diſcriminet & prærogativas, ſalvâ immedietate. Eſt autem hæc Immedietas ſpecies ſubjectionis ſub ſumma poteſtate, non interveniente altero intermedio. Ordo autem clypeorum eſt prærogativa & ſubordinatio dignitatum inter ſeſe penitus diverſarum. Plane dependentia feudalis potuit fieri ſine ulla læſione Immedietatis quoad ſubjectionem imperialem, quum vaſallus non ſit ſubditus Domini ſui, qua talis. Hæc quum ſint certa & confeſſa principia juris noſtri, non poteſt inde niſi hoc confici: quod ſcilicet aſſertum antea propoſitum non poſſit ita crudè admitti, quaſi Nobilitas immediata, inferior ſexti clypei, unicus Imperii Status ab initio fuerit: quò enim quæſo cæteri ſuperioris Nobilitatis clypei redacti fuiſſent? an ſuppreſſi? quod abſurdum. Luditur itaque ambiguitate vocabuli Nobilitatis in notatione generali.

§. IX.

Diſcrimen Ordinum.

Imò verò in prima regni Germanici Capitulatione inter Ludovicum R. & ordines, quæ Pax Confluentana à loco quo an. 860. confecta vocatur, diſertè ſancitum cap. X. ut diſcrimen ordinum & dignitatum haberetur, nec ipſi Regi illud turbare fas eſſet. Spondet ibi Rex Statibus: *Ut noſtri fideles unusquisque in ſuo ordine & STATU veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc in antea contra legem & juſtitiam, vel auctoritatem ac juſtam rationem aut damnabimus, aut dehonorabimus aut opprimemus.* & quæ reliqua ſequuntur ad libertatem Statuum notatu digniſ-

gniſſima; alibique expoſita. Hinc diverſitas ordinum, dignitatum & Clypeorum militarium ita ſtabilita fuit, ut ne quis judicaretur, niſi à ſui clypei conſortibus, quos *Genoſſen* vocant veteres Leges. Itemque de non maritandis diverſis ordinibus. Lex Alamann. cap. LVII. In jure quoque feudali is, qui ab inferioris clypei domino feudum accipit, dicitur *ſeinen Schild nideren*, h. e. imminuere, humiliare clypeum ſuum. Jus Feud. Alemann. cap. XCVI. *Wenne der Herre ſinen Schilt mit manſchaffi genidret, aller ſiner manne gut het er domit verloren* i. e. *ſi dominus clypeum ſuum humiliat vaſallagio* (præſtito Domino inferioris vel paris dignitatis) *eo ipſo amiſit omnium vaſallorum ſuorum ſubfeuda.* Et mox: *daſſelbe Recht het der Herre gegen ſinen mannen, ob er das Lehn abekunt gegen eim andern manne der niderer, dem libet der Herre ob er wil, doch iſt des Herrn Schilt genidert, domit das er ſins Genozen manne wirt, wenne er vellet von ſiner Hæhe nider, und wird domit unwert.* i. e. *Eodem jure gaudet Dominus adverſus vaſallum, qui feudum alii vaſallo inferioris conditionis cedit, hoc Dominus quidem ſuperior conferre poterit, ſi velit: eo ipſo tamen Dominus clypeum ſuum humiliat, ſi vaſallus ſit Paris ſui, decidit enim ab altitudine ſuâ & contemtibilis redditur.* Confer ſi placet quæ hic annotavi.

§. X.

Melius itaque rem declarat C. Lerch. *de Nobilit pag* 222. *Zumahl, weil Weltkundig, der Graven, Freyherrn, Ritter und Adelſtand neben Konigen und Kaiſern*, (non omittantur & Principes Ducesque) *ein uralt verſambletes Illuſtre bellicum corpus ſub certis OR-* *Conſeſſ. pre-pr.*

 DINI-

DINIBUS diſtinctum alſo iſt, daſs vvie eines aus und mit dem andern erſproſſen, herkommen und verbunden, alſo der particular Gradum und Præeminentien halber (gleichſam in jederm Leib ein Glied vor dem andern vvurdiger iſt) jedoch vveder unter ſich zu eiſſern, eins dem andern ichtvvas entnemen, zu graviren, vveder ſich zu ſpalten, ſondern zu conſerviren und zu vermehren, urſach haben. Quæ quum ita ſint, & aſſertum ſuperius de ſola immediata Nobilitate verificari non poteſt, ſalvis gradibus & præeminentiis ſuperiorum ordinum; ſic multo minus de toto Corpore Ordinum & Clypeorum tolerari poterit, quod ſit aut fuerit unquam *Domanium* Regis inalienabile: imo neque de ſolo ordine equeſtri immediato iſtud dixerim, utpote Libertati Germanicæ planè diſſonum. De alienabilitate verò confer ſi lubet C. Lerchium pag. 135. cum hodierno Statu Nobilitatis Alſaticæ.

§. XI.

Conſectari Ex his porrò etiam de ejusdem Autoris altera aſſertione, quam §. 11. priorem fecimus, facilè judicari poterit, *Nobiles Franconicos & Comites pagorum fuiſſe paris conditionis, & Comites nihil amplius fuiſſe quàm Nobiles.* Videlicet quantum intervallum eſt inter Nobilitatem ſuperiorem, *Standes Perſonen*, & inter Nobilitatem Inferiorem, etſi immediatam, tantum diſcrimen etiam eſt inter utriusque ſortis conditionem, ordinem & clypeum militarem. Longè aliter majores hac de re judicarunt. Albert. Cranzius rerum Germanicarum peritiſſimus lib. 3. Metropol. c. XI. de Dethardo Epiſcopo Hildeſemenſi: *Vidit hic Pontifex magnificum Henrici Regis animum, ad componendam provinciam in moribus & ordine & exerci-*

ercitio militari: Miniſteriales ſuos, qui ſoli hodie volunt dici militares, coæquavit urbicis ad militiam conſcriptis: quos etiam in ordinibus duxit, nihil minoris habitos. Sed poſteriora ſecula diſtinxerunt ordines militantium & urbicorum, ut jam non patiantur ſibi illos coæquari: & (quod eſt arrogantius) jam, qui olim Miniſteriales dicti ſunt aut feudatarii, nunc ambiunt dici Nobiles. Sed coarguit eorum ſuperbiam uſus Principalium ſcribarum & omnium rectè diſcernentium munera graduum ſingulorum. Primi enim Barones inter Nobiles deputantur, inde Liberi Domini, poſtea Comites, inde Duces, quos appellat Papa Nobiles Viros. Idem lib. 1. c. 2. *Inde factum, ut à Principibus tranſiret in Miniſteriales, qui nunc militares appellantur. etiam ſublimius nomen ex Miniſterialibus aucupantes, Nobiles ſe dici volunt: quum ſit infimus Nobilium gradus in Baronibus.*

§. XII.

Miniſteriales fuiſſe nominatos de quibus hîc agitur, Nobiles Imperii immediatos, confitetur C Lerch. *in principio libeli* § 2. *Zu wiſſen iſt, die Teutſche Reichs-Freye von Adel in uralten Archivis Edeling, Freyling, —— und Miniſteriales, Feudatarii Cæſaris, Reichs Vaſallen genennt werden.* Itemque pag. 211. *ein Edelman deſs Reichs der Miniſterialis Imperii & Cæſaris iſt.* Quos *Urbicos* hic appellat Cranzius, ejusdem cum iisdem conditionis fuiſſe atque clypei, docet Henrici Regis ordinatio, quâ an. 925. agrarios milites recenſens, conſtituit, ut octo eorum in agris, nonus in urbe moraretur; & octo in agris & ſibi & nono laborarent, nonus verò in urbe tertiam par- *Cranz. explic.*

 tem

Digitized by Google

tem frugum reſervaret in ædibus ad hoc extructis, ut urbes rebus & viris plenæ eſſent *Idem Lerch* §.6. Conſpicitur hinc quod olim quæ hodie vocatur Nobilitas inferior, Nobilitatis nomine nondum venerit, ſed hoc Nobilitati ſuperiori vindicatum fuerit: confer quæ §. VII dicta. Cæterum quod Cranzius hic Barones & Liberos Dominos diverſis gradibus diſtinquit, vetuſtis Legibus non ſatis convenire videri poteſt, quæ de ſeptem clypeis militaribus tantum ſancivere, ſic autem cum Cranzio fierent octo, ſi inter Comites & Barones tertius daretur: At verò videtur Cranzius non tam numerum ſeptenarium hic attendere voluiſſe, quàm diſcrimen aliquod accidentale inter Barones & Liberos Dominos. nam ut omnes Barones ſunt Domini & Bannerii, ita inter hos quidam ſunt Liberi h. e. exemti vel ab ſervitiis militaribus, ſi poſſident territoria allodialia: vel etſi feudalia, tamen ab oneribus fuerint liberata & franca. Sed ad rem.

§. XIII.

Comitum Pagenses & Nobiles paruerunt.

Quod porrò additur ab eodem auctore: *Comites Pagorum ſubjectos ſibi habuiſſe in ſervitute ſive Sclavaria.* id nolim dictum à tanto Viro! Comites Pagorum non ita dicendi, quaſi Comites paganos atque ruſticos duntaxat ſibi ſuæque jurisdictioni delegatæ ab Impp. ſubjectos habuerint, ſed omnes & ſinguli in quolibet Pago ſive Comitatu habitantes, ſine exceptione dignitatis aut inferioris nobilitatis, fuerunt adſtricti ad Placita Comitum frequentanda: atque ex iis quidam & præcipui ut aſſeſſores etiam hæreditarii, quos Bannitos *Schæffen & Schæffenbare Lüte* Saxones vocabant Franci, Rachinburgos, *Capit. Pipini R an.*

R. an. 756. & Scabinos: quidam ut litigantes, actores, atque rei, qui ipſi *ſynodales homines*, dicti, *ſendbare Lute*, qui perſonam ſtandi in judicio habent. Comm. Jur. Feud. Alem. c. I. Enimvero in Legibus noſtris antiquis non invenitur, à Placitis Comitum Nobilitatem inferiorem fuiſſe exemtam & ſolius Imperatoris judicio ſubmiſſam. Exemtio autem utique probanda eſt, aliàs non ei creditur. Mutuam contradictionem Knipſchildii hac de re obſervare licet *Lib.* 1. *c.* 3, 84.

§. XIV.

Planè illa diſtinctio fuit olim adhibita, antequam Territoria hereditaria facta, inter cauſas majores & minores, ita ut minores, ſine differentia litigantium & dignitatis eorum, coram Comitibus in ipſorum Placitis non tantum proponi potuerint, ſed etiam debuerint, neque ad ſummum Imperatoris tribunal actutum cauſa proponi potuerit. Capitulare Pipini Regis in Conventu Metenſi an. 756. *Si aliquis homo ad palatium venerit pro cauſa ſua, & antè illi Comiti non innotuerit in mallo ante Rachinburgos, aut ſi cauſa ſua ante Comitem in mallo fuit ante Rachinburgios, & hoc ſuſtinere noluerit quod ipſi ei legitimè judicaverint; ſi pro iſtis cauſis ad Palatium venerit, vapuletur. Et ſi major perſona fuerit, Regis arbitrium erit.* Hic nulla perſona cujuſcunque dignitatis excipitur à jurisdictione Comitis ordinaria & in prima inſtantia: In pœnæ tantum determinatione diſtinguitur inter perſonam majorem, non autem in obligatione comparendi ad Comitis Placita. Carolus M. in Capitulari III. an. 812. diſtinctionem quidem fecit inter *Potentiores* & minus, *exceptis cauſis majorib.*

Ait:

Digitized by Google

Ait: *Ut Epiſcopi & Abbates, Comites & Potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, ac ſe pacificare noluerint, ad noſtram jubeantur* (à Comite) *venire præſentiam, neque illorum contentio alibi finiatur.* Quæ conſtitutio etiam habetur *Lib. 2. LL. Longobard. tit. 46. c. 1.* Qui ſint *Potentiores*, facilè intelligi poteſt, quod *Miniſteriales* inter hos non recenſiti fuerint, ut patet ex antea dictis, non itaque nobiles inferioris nobilitatis, milites, *Knechte.* At verò iſtud utique tenendum: Subjectionem Nobilitatis ab Imperatore commiſſam Comitibus, illius immedietati nihil præjudicaſſe, non minus quàm Landvogti exercitio juriſdictionis delegatæ præjudicarunt aut præjudicare potuerunt Immediatis non tantum ſubditis, ſed & Statibus. Ratio juris facilè patet, Comites enim exercuerunt hanc juriſdictionem ſibi commiſſam non proprio, ſed Imperatoris nomine: atque ſi cui Nobili juſtitia à Comite vel denegata vel protracta, ſemper liberrimus aditus fuit ad Imperatorem.

§. XV.

Knipſchild. L. 1. c. 3, 80. vult comprobare ex Ludovici Imp. conſtitutione, quod Nobiles olim à nemine, niſi ab ipſis Impp vel eorum Miſſis fuerint judicati: eam allegat ex *Turonenſi l. XI. c. 4.* Si Gregorium Turonenſium intelligit, oppidò falſus fuit à neſcio quo, quippe qui nec undecim libros & uno vel altero ſeculo ante Ludovicum ſcripſerit. Extat tamen iſta conſtitutio *apud St. Baluzium, T. 1. pag. 672.* his verbis: *Volumus atque jubemus ut miſſi noſtri diligenter inquirant, quanti liberi homines in ſingulis Comitatibus maneant. Hinc verò ea diligentia & hæc ra-*

tio

tio examinetur per ſingulas centenas, ut veraciter ſciant illos, atque deſcribant, qui in exercitalem ire poſſunt expeditionem. Sed inde non ſequitur, quod putat Knipſchild: *Si Comitibus in liberos ſive nobiles tunc jurisdictio competiiſſet, quid opus fuiſſet ſpecialibus Commiſſariis Cæſareis?* Quaſi verò extraordinaria quædam Viſitatio ſeu Comiſſio tollat ordinariam jurisdictionem.

§. XVI.

Planè etſi Miniſterialium Imperii aut immediatæ Nobilitatis inferioris prima inſtantia & forum competens fuerit penes Comites nomine Imperatoris jurisdictione exercendâ: tamen diſcrimen etiam aliquod fuit hactenus habitum inter illas perſonas & cæteras. Patet hoc ex capitulis Francorum. Karolus M. in Capitulari V. an. 803. cap. XVII. *Ut liberi homines nullum obſequium Comitibus faciant, nec Vicariis, neque in prato, neque in meſſe, neque in aratura aut vinea, & conjectum ullum vel reſiduum eis reſolvant; excepto ſervitio quod ad Regem pertinet, & ad heribannatores, vel his qui legationem ducunt.* Idem Lib. 2. LL. Longob. tit. XLIII. c. 1. *Ut nullus alius de liberis hominibus ad palatium, vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabinis & vaſſis Comitum, niſi ille, qui cauſam ſuam quærit, & ille qui reſpondet.* Anne inde etiam argueres, Nobiles à palatii etiam jurisdictione fuiſſe exemtos, quia non promiſcuè ad illos conventus debuerunt vocari? Cæterum & hoc inde apparet: Comites habuiſſe ſuos vaſſos, h. e. nobiles vaſallos &c. arctiori vinculo Comiti obligatos. Idem capitulum habetur *Lib. III. Kapitul. c. LI.* Allegat denique Knipſchild. *Lib. III. c. XXIV. 22.* auctoritatem *Lehmanni*

L. 2. Chron. c. 23. Nobiles antiquiſſimis etiam temporibus à Comitum Provincialium jurisdictione in totum immunes permanſiſſe. Sed fallit Knipſchildius noſter, non enim Lehmannus de Comitibus loquitur ibi, ſed de eorum vicariis & Centenariis, qui Comiti erant ſubjecti, & diſcrimen ibi inter Centenarios & Comites ipſos, eorumque jurisdictionem exponitur. Verba ejus ſunt clara: *Der Centgrave iſt des Gaugraven oder Landrichters* (i. e. Comitis) *Statthalter, in Verwaltung der wochentlichen gemeiner Verbærtege auffm Lande gewesen. Denn die Gaw- und Grafſchafften hat man in Centen abgetheilt. —— So haben auch die Freye, das iſt Adeliche Perſonen ufm Land und in den Stæten dieſe Freyheit gehabt, daß ſie vor der CENTGRAVEN Gericht nicht ſollen erſcheinen, ſie ſein denn demſelben als Richter zugeordnet.* Quanquam alioquin Lehmannus ibidem Centenarios & Zentgravios itemque Gogravios valdè confundere videatur, de quo alibi, nec hujus eſt loci.

§. XVII.

Privilegia Nob. Imm. an Libertatis Naturalis?

Progredimur ad alterum ſuprà adductum Auctorem, C. Lerchium: cui, ut qui ſuperiori viſione à vero non aberravit, §. IX. & hic viciſſim concedere facilè poſſemus, uti & antea §. VII. factum, Immedietatem omni clypeo militari eſſe primigeniam, adeoque & Nobilitati inferiori: At verò illud in diſceptationem venit, primò an jura Nobilitatis immediatæ ſint libertatis & juris naturalis & gentium? Atq; quum in omni Republica duo ſint ordines, Nobiles & Plebeji, quorum illi præ his quibusdam prærogativis, pro diverſitate morum populi & formæ Reipubli-

blicæ, gaudent, non poterit quis temerè inficiari, de jure gentium competere Nobilitati ſua ſibi jura & prærogativas præ Plebejis. Sed hoc rem non conficit. Neque quod jure naturæ nobilitas quædam intrinſeca cenſeatur, h. e. mentis animique generoſitas, atque ad bene merendum de Rep. domi foriſque in pace vel bello, aptitudo, fundamentum externæ nobilitatis. Verùm ſicut in hac Republ. alia ſunt Nobilitatis jura, alia in altera, & ſic deinceps: ita non poteſt generatim concludi, omnia & ſingula Nobilitatis immediatæ Imperii jura eſſe libertatis naturalis atque gentium juris. Namque inter iſta jura plurima ſunt privilegia, uti diſſentientes ipſi loquuntur: & qua cautela de privilegiis Nobilitatis ſit tractandum, ulterius docet Er Mauritius *de Nobil. Germ.* §. *XXXII. ſeq.* Atqui privilegia non poſſunt niſi ad Jura civilia referri, ut ex rei ipſius natura patet.

§. XVIII.

de Privilegio Caroli M.

Habemus hic confitentem reum, ipſum Dom. Lerchium, qui hanc in rem pro teſtimonio vetuſtiſſimo laudat decretum atque Privilegium Caroli M. an. DCC LXXVII. in Comitiis Paderbornenſibus Nobilitati Regni Germanici immediatæ datum atque conceſſum. Si igitur jura in eo contenta demum à Carolo M. jure *privilegii* obtinuerunt, quomodo poterit defendi, ea eſſe juris naturalis & gentium: quum ea quæ jure privilegii competunt, ne quidem jure civili communi & ordinario competant. Sed quum diſſentientes de hoc Privilegio Carolino, adeò magnum faciant feſtum, ut JCti noſtri Scholaſtici loqui ſolent,

operæ pretium videtur, illud ad amuſſim veritatis exigere. Ante omnia hic requiritur authentia atque auctoritas ex fide digno aliquo hiſtorico veteri & coævo. At nemo veterum, qui de Comitiis illis Paderbornenſibus ſcripſerunt, ne γρῦ quidem de tali privilegio. Nec alium autorem Lerchius potuit allegare, quàm Hieronymum Rödler, qui in præfatione libri ſui de Torneamentis anno 1530. editi Germanicè id propoſuit: atque Philipp. Camerarium *Cent.* 1. *Hor. Succiſ. cap.* 79. qui Latine, ſed ſine ullo auctore, & cum formula incertam fidem indicante: *Fertur.* Suppuduit enim Camerarium Rödlerum allegare & fortè etiam epiſtolam Æneæ Sylvii, ad quam ſe refert Rödlerus, ſed de hac mox. Porrò Knipſchild. *L.* 1. *c.* 3, 78. ex Goldaſti *Tom. III. Conſtit. Imp. fol.* 120. allegat, qui Goldaſtus nec ipſe aliquem auctorem citat. Sed ſalva res videtur. Rödlerus ait ſe hæc ex libello quodam Æneæ Sylvii hauſiſſe; iſte libellus inter epiſtolas Sylvii CXXVI. extat: quæ etſi tantæ eruditionis viro indigna videtur, quemadmodum etiam in Codice meo MS. inter epiſtolas Æneæ non habetur; non indigna tamen fuerit, iſtam huc tranſcribere, quippe unde totius hujus figmenti ratio aut potius abſurditas facilè apparebit.

Heral-

Heraldorum nomen & officium unde exortum ſit,
Epiſt. CXXVI.

Æneas Dei gratia Epiſcopus Senenſis, Domino Joanni Hinderbach, Secretario regio & amantiſſimo fratri, S. P. D.

QUærere multi ſolent unde ſit Heraldorum nomen exortum: Quis Heraldos primos inſtituit, & quid officii genus hoc hominum inter mortales habeat. Quæ res mihi quoque aliquando fuerunt dubiæ. Sed cupienti plurima noſſe, ut eſt humanum ingenium, quærentique certior fieri apud Angliam, quæ olim Britannia dicebatur, in ſacrario nobilis ædis ſancti Pauli Lundonienſis, vetus hiſtoria in manus venit, ante annos ſexcentos. ut ſignatum erat, conſcripta, quæ ſi vera eſt & meæ poteſt & aliorum ſatisfacere cupiditati. In ea quid invenerim tibi ſcribere decrevi, ut acri tuo judicio cum viro primario & doctiſſimo Domino Ulrico de monte ſolis quid tenendum ſit cenſeas, mihique reſcribas. Au-

thor hiſtoriæ Thucydides Græcus annotatus erat, quem fama celebrem clarum novimus, translatoris nomen nullum inveni. Conſtat tamen peritum fuiſſe, qui magnum illum & facundiſſimum autorem Latinæ linguæ non minorem quam Græcus eſt reddidit. Non teneo verba hiſtoriæ, ut erant contexta, ſententiæ memini: in ea ad hunc ferè tenorem ſcriptum erat: Heraldi ſunt qui apud majores noſtros Heroes vocitabantur, quos majores hominibus, diis minores fuiſſe tradunt. Nam quem Priſci rebus geſtis inſignem videbant, gratum populis, virtute ſublimem, in Deorum cœtum colligebant, ſi modo miracula extabant, quibus eum ſupra naturam aliquid operatum fuiſſe conſtaret. At ſi miraculi nihil erat, virtus tamen admirabilis videbatur, hunc neque Deum neque hominem compellare fas putabant, ſed medium inter utrumque ſortiti vocabulum, heroem vocabant, quaſi ſemideum: Sic

Digitized by Google

Sic Heroes introducti à quibusdam corrupto vocabulo Heraldi ſunt appellati. Illos inſtituit primus omnium Dionyſius qui etiam primus armatus & cum exercitu invaſit Indiam, ac rudes illos & agreſtes homines, cordicibus arborum, & crudis ferarum carnibus utentes in urbes legit, boves aratro jungere, frumenta ſerere, Deos colere, nutrire comam, mitram ferre, & unctiones docuit ungentorum. Fuitque his dator vini ſicut & Græcis, armavit eos armis Martialibus & ad uſum vitæ cultioris erexit. Quibus compoſitis cum vellet abire atque alias luſtrare regiones, fuerunt complures in ejus comitatu qui jam ſenio confecti & aſſiduis attriti laboribus, neque remanere volebant ſine rege, neque ſequi ducem volebant. Receſſurumque principem, lachrymis & fletibus obſecrabant ut ſui miſereret. Ad quos Liber pater, ponite curas, inquit, commilitones fratresque mei, diu pugnaſtis, diu me ſecuti eſtis, ego

alia

alia ex aliis in fata vocor, vobis jam parata quies eſt, & hic præmia laboris vos manent. Siſtite hic & urbem hanc, terram quam veſtri mihi lecerti quæſiverunt, poſſidete. Ego vos hodie militiæ laboris abſolvo, veteranos milites eſſe volo, Heroasque vocari. Munus veſtrum erit reipublicæ conſulere, ſontes arguere, laudare probos, cæteris muneribus vacabitis: quocunque gentium terrarumque veneritis, victum vobis Reges veſtitumque dabunt, honoratiores apud omnes eritis. Xenia vobis principes offerent, ſuasque veſtes condonabunt. Stabit fides dicto veſtro, mendatia horrebitis, proditores indicabitis, qui fœminas malè habent, hos infames aſſeverabitis. In omni terra libertas vobis eſto, ſecurusque vobis tranſitus & incolatus. Si quis vos veſtrumque verbo factove angariaverit quempiam, gladio ferietur. Cæterum ex amicis meis bacchoſiſſimum Spartembam vobis Regem Indisque con-

conſtituo, qui vobis alimenta præbeat & annuas ſtipes. Qui cuſtodiat privilegia veſtra, & honoratos vos habeat ex grege veſtro ad regni faſtigium evocatus: vos illi conſulite, & poſteris. Cujus ſi genus defuerit, ex vobis veſtrisque liberis reges Indorum ſumite. Atque ſic adhortatus Heroas Dionyſius ex India duxit exercitum. Spartembas autem regnavit ſuper Indos quinquaginta & duos annos. Budamque filium ſucceſſorem reliquit, qui cum regnaſſet annos viginti, inſtituto filio Cradena vitam finivit. Ac poſt eum per duodecim generationes Heroum ſoboles usque ad Herculem regnavit in India. Hercules autem cum domitis terrarum monſtris, ac ſævitia tyrannorum deleta, penetraſſet, Indiam regnum Heroum in ſe recepit. Privilegia tamen his non ademit, ſed auxit eorum numerum conſcriptis inter eos qui ſecum ab Hiſpania & Mauritania, militaverant, & contra Gerionem tripli-

cis animæ, & Antæum terræ filium arma tulerant, longis itineribus & ſenecta ætate defunctis. Sed cum veniſſet ad mortem multosque filios haberet. (multis enim mulieribus matrimonio junctus fuit) unicam autem filiam ſuſtuliſſet Pandeam nomine, huic regnum commiſit. Et ut oſtenderet Heroas quanti faceret præ cæteris liberis, unum ex numero Heroum nomine Jobarem, virum filiæ dedit, qui Regem gereret quingentosque huic elephantes, quatuor millia equitum, & centum triginta millia peditum conſtituit quibus regnum tueretur. Ex hoc natus eſt Polimbotras à quo dicta eſt, urbs maxima Polimbotra. Cujus poſteritas usque ad Alexandrum magnum per centum & triginta octo Reges Indiam gubernavit. Ex quibus ortus eſt Porrus, cujus virtutem miratus eſt Alexander, atque adeo dilexit ut victor victo regnum dignitatemq; reſtituerit. Tum quoque Alexander ex ſuis militibus Heroas legit

ſenes

Digitized by Google

ſenes quingentos, longa & laborioſa nimis militia contritos, quos porro commendavit, quibus ſingulis annis in ſingula capita viginti argenti talenta daret: adjecitque privilegiis Heroum ut auro & purpureis coccineisque veſtibus & paludamento uti poſſent. Quin & arma regia & inſigne deferre quovis gentium terrarumque loco fuerint. Si quis hos manu pulſaſſet aut verbo læſiſſet, eum capitis reum eſſe bonaque ſua fiſco deberi. Sic Thucidides ut ille refert qui tranſtulit, qui ſimilia Herodotum & Didimum & Magaſtenem & Xenophontem ſentire contendit. Additque demum ex perſona ſua autor ignotus. Habemus igitur Heraldorum nomen idem ſignificare quod apud veteres Heroum ſignificabat, Dionyſiumque primum hoc genus hominum apud Indos inſtituiſſe. Officium eorum eſſe ut Regibus aſſiſtant, ut conſulant reipublicæ, ut virtutes extollant, vitia fulminent. Nec aliud ſunt quam

milites veterani qui poſt multa egregia facinora multaque bella mirificè confecta & ampliſſimos triumphos exhauſti viribus feſſique ſeni à labore militari remittuntur, & in curiam conſulturi accerſuntur. Traditum quoque apud majores eſt hujuſmodi homines ſemper honoratos fuiſſe, ac tum Saulis tum Davidis, Salomonis, tum cæterorum Regum Hebræorum latera conſtipaſſe. Quin & inter Machabæos hæc dignitas locum obtinuit. Legimus & Julium Cæſarem, cum, victo Pompejo, in Ægyptum perrexiſſet, hoc nominè & hoc honore pleroſque ſuos commilitones donaviſſe, qui ſecum & in Gallia & in Britannia & in Germania & in Græcia, forti pectore militaverant, jamque torpente ſenecta languebant. Nec Octavianus Auguſtus hoc præclariſſimum genus hominum neglexit, qui ſuperato apud Accium Marco Antonio extincta Cleopatra, cum Parthorum ſuperbia timore poſito, veniam poſtulaſſet, ablato-

que

que Marco Craſſo cum precioſis muneribus ſigna remiſiſſet, tum Reges Indorum ad famam tanti nominis moti usque ad Hiſpaniam legatos miſiſſent, ac ultro parere ſe Romano Imperatori obtuliſſent. Cum ſubmerſo Cantabro terra marique pacem Romanus populus haberet, clauſiſſetque denuo jam portas, hujusmodi fertur legem tuliſſe: Omnes idcirco mortales exercere ſe ſolent & objectare periculis, & aliquando pace frui quiete poſſint. Nec labor eſt ullus qui præmia non expectet. Ea propter majores noſtri militibus qui bene pugnaviſſent non ſolum ſtipendia quibus ſe ſuamque poſſent nutrire familiam, ſed honores ampliſſimos conſtituerunt, ut coronas, armillas, haſtas, & alia virtutis inſignia quaſi ſolamen & præmium laboris exacti. Similiter & nos facere decet, qui diis faventibus & magna virtute militum rem Romanam reſtituimus, & altam pacem toto reformavimus orbe, ne milites

qui longa & duriſſima nobiſcum bella pergerunt, ac plurimum ſanguinis tum ſui tum hoſtium effuderunt, ſine mercede tanti laboris evadant. Quisque ergo per decennium nobiſcum militaveris, ſi modo quadragenarius fueris, ſive pedes ſive eques ſtipendia merueris, militia poſthac & omni labore vacato, Heroas eſto, veteranusque miles. Nemo te civitate, foro, templo, hoſpitio, domo prohibeat. Nemo tibi crimen aſcribat, onus imponat, pecuniam ex te quærat. Si quid peccaveris, ſolam Cæſaris vindictam expectato. Quicquid turpidinis admiſerint homines, te judicem propalatoremque timeant, ſeu privati ſeu principes fuerint. Quod dixeris affirmaveriſque, nemo falſum arguat. Libera & aperta tibi omnia itinera locaque ſunto. In ædibus principum menſa tibi potusque eſto. Stipendia quibus te tuamq; domum ſerves ex publico quotannis habeto: quam legitima face duxeris

ris uxor, cæteris fœminis præferatur: quem exprobraveris infamemque dixeris, hic reprobatus homo & infamis eſto. Arma, inſignia, nomina, & ornamenta Heros ferto quæ Reges decent. Quæ dicere aut facere velis ubivis gentium locorum nationumque facito. Si quis tibi injurius fuerit, cervice careto: utque ſenectuti tuæ quietius, Cremonenſium qui contra vos Antonii partes foverunt, agros tibi tuique ſimilibus viritim dividendos aſſignamus, qui ſi pauci fuerint, addimus & Mantuanos, ut bona fide & alta virtute profuiſſe te reipublicæ gaudeas. Sic Octavianum veteranos ſuos honoraſſe confirmant. Decreverant idem Penus Hannibal facere, niſi fortuna fractus adverſa Antiochi Regis & Pruſſiæ coactus fuiſſet ſupplex tribunalia petere. Comperimus Attilam Hunorum Regem quamvis efferatum & inanem gloria, ſimilia ſuis veteranis privilegia contuliſſe. Neque Theodoricus Got-
tho-

Digitized by Google

thorum maximus & audentiſſimus Rex Heroas inhonoratos reliquit, quibus & civitates & provincias tributarias fecit. Carolus autem magnus qui primus poſt Græcos apud Romanos ſuſcepit imperium, Germanus homo ex antiqua Francorum proſapia natus, poſtquam Saxones ſæpius rebellantes multa vi domuit, ac feces Hunorum Longobardos ab infeſtinatione Romani præſulis exterruit, ſuſcepto Cæſaris nomine & Auguſtus appellatus, milites omnes qui tanti laboris comites fuerant, in hunc modum honore fertur & libertate donaſſe. Ite, inquit, milites mei, vos Heroes vocabimini, ſocii Regum & judices criminum. Vivite poſthac laboris expertes, conſulite Regibus, & publico nomini turpia corripite, favete fœminis, juvate pupillos, conſilio circundate principes, ab his victum, veſtitum, ſtipendiumque petite. Si quis negaverit, inglorius infamiſque eſto. Si quis injuriam vobis intulerit,

reum

reum ſe majeſtatis agnoſcat. *Vos* autem caveritis ne tantum decus tantumque privilegium juſto bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut ſcurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis. Ne quod vobis largimur ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis ſumendam ſi forſitan exceſſeritis, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum Regibus perpetuo reſervamus. Hæc ſunt quæ de nomine & inſtitutione Heraldorum quos Heroas fuiſſe conſtat, apud antiquos ſcripta comperimus. Cur autem noſtris diebus, qui nunquam militarunt, & abjecti quidam homines hoc nomen aſſequuntur, neſcio cauſam niſi quia omnia degenerant, nec eſt hominum genus quod ſtet ſuis legibus. Nam & indocti doctoris inſignia recipiunt, & qui nudum nunquam enſem viderunt, militiam profitentur, nitentque calcaribus aureis: atque ut de noſtra dignitate dicamus, abſque moribus, ſermone leves atque vi-

ta cathedram Pontificalem audemus aſcendere. Quære religiones, percurre mechanicas artes, omnes oberrant, nihil eſt quod ſuis legibus puris inviolatisque perſeveret. Vale & ſi quid habes quod conſonet autoritate dignum & fide, ſcribito nobis, noſtri memor & amans. Cujus rei Michaelem Pfullendorffium conſecretarium tuum & noſtri diligentem doctrina plenum, aut judicem aut arbitrum experiemur. Ex Vienna Calendas Junii, Anno Domini. M CCCCLI.

§. XIX.

Not. 16. Obſervandum hic imprimis tempus, quo hiſtoria iſta ſcripta dicitur: *ante annos ſexcentos, ut ſignatum erat, erat conſcripta*, ait Sylvius, qui vixit ſeculo XV. obiit enim A. C. 1464. incidit ergo dies natalis iſtius ſive hiſtoriæ ſive fabulæ in ſeculum decimum, obſcurum iſtud atque infelix, de quo Baronius ad An. 900. §. 1. *Novum inchoatur ſeculum, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia ſcriptorum appellari conſuevit OBSCURUM.* Atque Genebrardus ad ingreſſum hujus ſeculi: *Infelix dicitur hoc ſeculum, exhauſtum hominibus ingenio & doctrina claris.* Commodiſſimè certe autor hujus fabulæ ad hoc ſeculum refer-

fertur. Alterum eſt, quod ipſe Sylvius pro rara ſuâ doctrina ac eruditione, ipſe adhuc dubitat de fide hujus fabulæ; ait: *quæ ſi vera eſt.* Et mox: *In ea quid invenerim, tibi ſcribere decrevi, ut acri tuo judicio cum viro primario & doctiſſimo domino Ulrico de Monte Solis, quid tenendum ſit, cenſeas mihique reſcribas.* Et denique ut de re dubia, concludit epiſtolam: *Vale & ſiquid habes quod his conſonet, auctoritate dignum & fide; ſcribito nobis, cujus rei Michaelem Pfullendorfſiam Conſecretarium tuum & noſtri diligentem, doctrinâ plenum: aut judicem, aut arbitrum experiemur.* At cum nec ſententiam nec laudum hactenus inventum, videtur res in pendenti manſiſſe. *Autor hiſtoriæ Thucydides Græcus annotatus erat*, ſcribit Sylvius, & poſt relata ex Thucydide, ait: *Translatorem hiſtoriæ* h. e. auctorem Latinum fabulæ, *contendere, ſimilia Herodotum & Didimum & Megaſthenem & Xenophontem ſentire.* Mirum profectò, quod tantæ eruditionis Vir, ſi ejus eſt Epiſtola, non agnoverit immenſum fabulatoris iſtius anonymi anachroniſmum. Quî quæſo poſſibile eſt, ut autor iſtius fabulæ de Dionyſio Tyranno Siciliæ, Thucydides fuerit? utpote qui dudum ante Dionyſium vixerit & ſcripſerit. Thucydides ſanè hiſtoriam ſuam & indubiè & vitam finivit anno XXI. Peloponneſiaci, h. e. Olympiade XCII. 2. Anno ante N. C. 411. Dionyſius verò Hermocratis filius, Imperator à Syracuſanis lectus, quinque annos poſt, ſecundum Diodor Siculum, vel ſex, juxta Xenophontem, qui primus tyrannidem in cives arripuit, qua de re Thucydides teſtis nec fuit, nec mortuus, eſſe potuit. Atque hic fuit Dionyſius Se-

 nior.

nior, de juniore verò res multò magis falſa ſit, oportet. Porrò Herodotus floruit ante Thucydidem, ut notum, itaq; nulla etiam ab ipſo Dionyſii Sicul. Tyranni mentio eſt, nec eſſe potuit. Accitur in hanc rem ulterius etiam Didymus & Megaſthenes: quorum hic temporibus Alexandrinis floruit ſub Seleuco Nicatore, ille verò ſub Auguſto Imp. Verum enim verò quum genuina horum monumenta, quæ adhuc extant, nihil hac de re referant, æque nullius fidei iſta eſt teſtatio.

§. XX.

Ait fabulator: *Habemus igitur HERALDORUM nomen idem ſignificare quod apud veteres Heroum ſignificabat.* Unde autem hoc habemus? ex præſuppoſito nec conceſſo: *Heraldi ſunt qui apud majores noſtros HEROES vocitabantur: quos majores hominibus, diis minores fuiſſe tradunt.* Sed non omittendum erat: *defunctos.* At verò de Heraldorum nomine quid Græci, quid Romani? utrisque incognitum, quum Germanorum proprium ſit vocabulum. Accuratius hodierni Eruditi judicant, interprete ſaltem Dom. Cangio Gloſſ. med. Latin. v. Heraldus. *De vocis etymo multa hactenus viri docti commentati ſunt, quorum plerique eò conceſſere, atque imprimis Pithaus, Skinnerus, & alii, ut arceſſendum exiſtiment ab HERE Anglosaxonico, & Germanico HEER, exercitus, & Ald, ſervus vel famulus, quod Feciales exercituum miniſtri habeantur, ſintque belli denunciatores. Nam JURE EXPLODITUR eorum ſententia, qui Heraux quaſi HEROAS dictos volunt, de qua pluribus agit Æneas Sylvius Epiſt.* 126. Porrò quæ Fabulator de Dionyſio ſuo profert, quod primus arma-

matus & cum exercitu invaſerit Indiam, ac rudes illos & agreſtes homines corticibus arborum & crudis ferarum carnibus utentes in urbes legerit, boves aratro jungere, frumenta ſerere, deos colere, nutrire comam, mitram ferre &c. docuerit; hæc omnia veritati hiſtoricæ contraria ſunt, nec digna refutatu. Aſiam jamtum omnem Cyrus adeptus fuit, Crœſo victo, *Herodot. L.* 1. *c.* 130. & bonam ejus partem ſpeciatim Darius perveſtigavit, *idem L.* 4. *c.* 44. Conf. *Xenoph. de inſtit. Cyri L.* 6. *pag.* 124.

§. XXI.

Huic arenoſiſſimo fundamento ſuperſtruxit fabulator Orationem Dionyſii & privilegia ab eo data & conceſſa Heraldis ſive Heroibus Indicis, h. e. veteranis militibus, quaſi vero Veterani & Heroes ullo tempore pro iisdem habiti. Sed & de Heroibus Indicis nec vola nec veſtigium in veritate hiſtorica. Nec contentus his infelicis ſeculi infelicior hiſtoricus, ſed etiam Auguſti Imp. & Caroli M. ſimiles ſive Orationes ſive Privilegia fingere non erubuit, quæ nullibi extant.

§. XXII.

Enim verò quod ſpeciatim Carolinum ſermonem attinet, nec ullam privilegii, ſed nudæ orationis ad militem dimiſſum directæ præfert formam ac characterem. Nulla hic Privilegii nulla diplomatis apparent requiſita. Imò etſi cautior hujus rei formator fuiſſet, uti eſſe potuiſſet, tamen ipſa rei veritas figmentum aperiret, quum in Comitiis illis Paderbornenſibus nulla exercitus Germanici dimiſſio facta fuerit: nec fieri potuerit. Neque quod magis eſt, ab Ænea Sylvio hujus loci ibi fit mentio: unde patet *fictum eſſe.*

 fabu-

fabulas fabulis cumulatas. Nam quod ajunt bella Longobardorum in Italia, & Saxonum in Germania fuiſſe tum confecta, adeòque copias militares dimiſſas, opidò falſum eſt. De bello Longobardico conſtat, neque de eo tunc temporis magna ſollicitudo erat, ſed aliquot annis poſtea illud confectum. De bello Saxonico ſcriptores veteres de hoc anno & de his ipſis Comitiis conteſtantur, quod adeò bellum non fuerit abſolutum, ut Witekindus Saxo cum aliquot millibus refugium ad Regem Daniæ ſumſerit ſecundùm proverbium φεύγων ἀνὴρ πάλιν μαχήσεται. quod & factum: quum Carolus exercitum ſuum, haudquaquam dimiſſum, ſed in Hiſpaniam contra Saracenos miſiſſet: id quod apud omnes hujus temporis ſcriptores veteres eſt maniſeſtiſſimum.

§. XXIII.

Poſito verò, non conceſſo, quod talis oratio ad Militem dimiſſum facta fuiſſet, certè non ea ad omnem intelligi oporteret, non ad gregarios, non ad plebejos, non ad pedeſtres: ſed ad primores & *Heroas*. Nam qui dicantur inter vivos Heroes Latinis & Græcis atq; Germanis, id non ex antiquis fabulis diſcendum, ſed ex ipſis Scriptoribus. Atq; etſi Poëtæ interdum vocabulis utantur ſuo modo, tamen nec in his fabuloſa iſta fundamentum inveniunt. Ricardus Bartholinus, coævus Rödleri, *Lib. 2. Auſtriados & lib. IV.* de Imperatore:

Concilium vocat Heroum, remque ordine pandit,
Quid dicta ferant, quid conſulat Heros
Agnoſcit.
Tunc Brunſvichidem Cæſar vocat: Eia age centum
Delige bello equites.
Illic ſeſe Heros delecto milite condens &c.

Inter-

Intervallum hîc aliquod eſt inter Heroem Ducem Brunſvigæ & inter equites quos ſibi delegit. Eodem modo *Nobiles & Terræ Domini, Landesherrn*, in Conſtitutione Wilhelmi Regis an. 1255. non tam de ordine equeſtri, quam de Nobilitate ſuperiori accipiendi, Vid. illuſtrem JC. Dattium *Lib. 1. de Pac. Pub. c.* 4. 22.

§. XXIV.

Conclus. Denique ſi totus hujus ſermocinationis Carolinæ contextus inſpicitur, quilibet intelligens facilè dijudicat, quod neque ſtylus congruat ſeculo Carolino, neque etiam res ipſæ. Quid iſtud? quod injuriam faciens Nobili immediato inferioris Nobilitatis, de his enim intelligi volunt iſtud privilegii) *Reum ſe Majeſtatis* agnoſcat. Contra verò quàm abjectè de Nobilibus immediatis dicitur, quòd à Principibus victum & veſtitum & ſtipendia petere debeant. Certè magna & præjudicialis dependentia Nobilitatis immediatæ à Superioribus Statibus ibi continetur. Unde nec ulla paritas aut conſequentia ad paritatem conditionis utriusque Nobilitatis Superioris & inferioris inibi, multo minus exemtio etiam quoad res in alieno territorio ſitas, deprehenditur. Sed de hoc poſtea. Quare indubium eſt, totam hanc ſermocinationem fuiſſe ab Heroldo aliquo confictam, non ſatis judicioſo, idque ad imitationem iſtius non minus fictæ ſermocinationis Dionyſianæ. Concludimus itaque de iſta Lerchii aſſertione, quod ut jura Nobilitatis immediatæ ſint juris civilis publici: ita admitti utique poſſit ſano ſenſu, ordinem equeſtrem ſive Nobilitatem Immediatam conſtituere unum corpus Imperiale cum Comitibus: at verò non cum Comitibus ſolis ſed etiam cum Principibus & Duci-

Digitized by Google

Ducibus atque Electoribus, cujus corporis caput Imperator. Sed quid hoc ad rem, quæſo? In qualibet Republica etiam ruſticani & plebeji conſtituunt unum corpus Reip. cum Nobilibus, ſed propterea non ſunt paris conditionis.

§. XXV.

Conſociatio non tollit differentiam graduum.

